Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25999
Copyright: Admont, Benediktinerstift



A que iste que egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis. et descendunt ad
plana deserti / intrabunt mare et exibunt. et sanabuntur aque. Sirite at-
tendimus mundus iste mare mortuum est. Ad quid autem latus templi domini
templi non manufacti lancea perforatum est. et ex illo uulnere aqua cum sanguine
cucurrit / non ut tolleretur mors huius mundi. quod est ut sanarentur aque generis
humani. Nec uero solummodo de corpore siue latere uisibili aqua profluxit uisibilis
pro causa patrande sanitatis / sed et de diuinitate inuisibili aqua processit inui-
sibilis. aqua sapientie salutaris. aqua id est gratia spiritus sancti. Idcirco rectissime
dictum sit. ecce aque redundantes a latere dextro. a latere diuino. Porro
illud caute et diligenter discernendum est quia prius dixit. aque autem descen-
debant in latus templi dextrum ad meridiem altaris / et deinde. ecce aque
redundantes a latere dextro. Cum enim templum istud templum dei proprium
sit. in quo corporaliter inhabitat omnis plenitudo diuinitatis / quomodo uel
unde descendebant illuc aque iste. que sunt dona spiritus sancti. Ergo nec iste
sermo nos obliuisci patitur quia deus et homo est unus idemque xpistus / et in ipso
natura hominis accepit quod in ipso nichilominus dare potuerat natu-
ra dei. Hunc uideamus quo ordine uel quoto gratie in undantis incremento
nostras aquas mortuas aqua ista uiua sanauit. Prius tamen non nos praetereat. quia
cum dixisset. aque autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem
altaris. ut deinde diceret. et ecce aque redundantes a latere dextro / in-
terposuit dicens. et eduxit me per uiam porte aquilonis. Quid est enim quod
ad uidendam redundationem aquarum uiuentium propheta educitur
per uiam porte aquilonis frigidi / non quod in nationes effundenda erat gratia
sancti spiritus. Hunc reuertamur ad proposita. xxxv

Et mensus est ille mille cubitos / et transduxit me per aquam usque ad
talos. Mille mensoris huius cubiti. plenitudinem significant gratie
largitoris / qui prima mensione omnia tulit peccata mundi. per quam
propheta usque ad talos transduxit. Nam per talos aqua tinctos prime mensionis
extinctio significatur peccati originalis / quia pro illo deus ad serpentem pro mulie-
re dixit. Ipsa conteret caput tuum / et tu insidiaberis calcaneo eius. Et enim
maxime pro peccato originali insidiabatur diabolus serpens antiquus calcaneo
mulieris et seminis eius. id est extremo fini eius / in tantum ut ad ipsum xpistum dei filium
uenire auderet insidiator: nichil tamen nocturus. sicut ipse testatur. Venit
enim princeps mundi huius / et in me non habet quicquam. Rursum mensus est mille /
et transduxit me per aquam usque ad genua. Per talos soli apostoli. de quibus propheta. quam
pulchri inquit super montes pedes euangelizantis pacem / per genua uniuersi